

Alludit ad illud *Ecclesiastæ* vii, 12 : « Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit et pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. » Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent : *Qui vero pauper honoratus est, quanto dives esset idem honoratior? et qui infamis est in divitiis, quanto foret in paupertate magis?* Ita Tigurina. Syrus : *Qui honoratur in paupertate, in divitiis suis quanto magis? et qui contemptibilis (vel illecebrosus et voluptuosus) est in paupertate sua, in divitiis suis quanto magis?* Quæ verba alium innuunt sensum, q. d. Pauper, si timeat Deum, honoratur in paupertate sua : idem, si fiat dives, honorabitur magis. At pauper qui non timet Deum, imo sua prodigit vacando veneri et ventri, inhonoratur in paupertate sua, et multo magis inhonorabitur, si fiat dives; quia per divitias fiet intemperantior, insolentior, superbior, itaque majus odium et probrium sibi accerset. Complutenses tantum habent : *Qui honoratur, vel glorificatur, in paupertate, quanto magis in substantia?*

Pauperes ergo solentur se his verbis, quibus Tobias solatus est se et filium, dicens cap. iv, vers. 23 : « Noli timere, fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. » Et illis S. Jacobi cap. ii, 5 : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit diligentibus se? » Et illis Christi : « Pauperes evangelizantur. » Et : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, » *Matth.* v, 3. Et illis Davidis de Christo : Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea, » *Psal.* lxxxvii, 16. « Vulpes enim foveas habent, et volucres cæli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, » *Matth.* cap. viii, 20.

Præclare S. Leo, serm. 4 in *Quadrages.* : « Semper dives, inquit, est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quam quod non habet; nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. » Et Salvianus Massiliensis : « De illis, inquit, qui expediti ab omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur, et Dominum Jesum Christum, non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Vos autem non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Dei imagines colo, non aliter quam membra Christi suscipio. » Atque hi cum possessione sint divites, voluntate pauperes, possunt gloriari, tam in substantia, quam in paupertate; imo hæc est summa gloria, divitiis per contemptum dominari, at fecit Alethius gener S. Paulæ, uti dixi vers. 26; item Pammachius ejusdem ge-

ner, cujus proinde gloriam ita celebrat S. Hieronymus epist. 26 ad Pammachium : « Non est pauperum virum nobilem, disertum, locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adherere pauperibus, rusticis copulari, de principe vulgum fieri; sed quanto humilior, tanto sublimior est : lucet margaritum in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat. » Et mox : « Antequam Pammachius Christo tota mente serviret, notus erat in senatu; sed multi alii habebant insulas proconsulares, totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos præcedebat alios dignitate, sed et alios sequebatur : quamvis clarus honor, vilescit in turba; et apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident : at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, mirantur; miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat. » Mortua enim Paulina uxore, S. Paulæ filia, ex Consule Romæ fecit se monachum, æque ac S. Paulinus, Alethius et alii isto ævo, quorum mater et antesignana fuit S. Paula, discipula S. Hieronymi. Unde de eodem paulo ante : « Nostris temporibus, inquit, Roma possidet quod mundus ante nescivit. Tunc viri sapientes, nobiles, potentes Christiani, nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, ἀρχισπύργος monachorum. » Et post nonnulla : « Quis enim crederet ut consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? »

Anagogice Rabanus : « Pauper, inquit, est, qui in timore Domini, et observantia veræ religionis totam gloriam suam statuit; de quo Paulus : Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Qui autem gloriatur in paupertate sua, quanto magis in substantia? Ille autem qui in tribulationibus gaudet, in necessitatibus, in angustiis nunc pro Christo, quanto magis gaudebit, quando pervenerit ad retributionem futuram, et ad divitias veras quæ electis Dei servantur in regno cælesti? Qui autem gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Hoc est, ille qui totam fiduciam suam ponit in terrenarum rerum abundantia, paupertatem futuram vereatur, memoretque semper illam Evangelicam parabolam de divite purpurato et paupere Lazaro : quomodo ille de gloria temporalis in tormenta projectus est æterna; iste autem de miseria præsentis vitæ, ad gaudia conscendit sempiterna. De quo et per Jacobum dicitur : Gloriatur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua; quia omnis qui adversa humiliter pro Domino suffert, sublimiter ab illo regni præmia percipiet. E contrario autem dives in humilitate sua gloriatur : quod per ironiam dicitur; quando gloriam suam, quæ de divitiis

superbiebat, et pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse conspexerit. »

Mystice, cum totum hoc caput impetat et exagitet superbos et superbiam, hæc accipi possunt de paupere, sed humili; ac divite, sed superbo ob suas virtutes, bona opera et merita, q. d. Melior est peccator pœnitens qui pauper est meritis, sed dives humilitate, quam justus dives meritis, sed iis superbiens. Hoc est quod vulgo dicitur : « Melior est peccator humilis, quam justus superbus. » Nam ille humilitate in meritis crescit, hic superbia decrescet, imo a Deo desertus labetur in peccatum mortale, quo omnia merita perdet, fietque pauperrimus. Id ita liquet in parabola Publicani humilis et Pharisæi meritis superbi, quam recenset Christus *Lucæ* xviii, 10 et seq. Publicanus enim confitens, dicensque : « Deus, propitius esto mihi peccatori, » meruit audire a Christo : « Dico vobis : Descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » De quo S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* xvii : « Pharisæus, inquit, gratias recte egit, sed perverse se super Publicanum extulit; civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit. » Et paulo post : « Unde magno oportet et bona semper agere, et ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire, ne, si mentem elevent, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit. Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prostermit moritur, qui de culpa quam superat elevatur. »

Quocirca idem S. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap.

xxvi, sapienter docet eunti in cælum imitandos esse viatores, qui non quantum viæ confecerint, sed quantum conficiendum restat, semper considerant, et præ oculis habent. Hinc Christus detonat in Angelum Laodicæ : « Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus, » *Apocal.* iii, 16. Audi S. Chrysostomum hom. 5 *De Incomprehensibili Dei natura* : « Atque ut plenius intelligas quam sit bonum nihil magnum de se opinari, finge animo bigam duplicem, quarum sub altera virtus juncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtutem facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed conjugatæ humilitatis facultate; contra bigam alteram virtutis retardari et vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiam mole ac pondere. Ut enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cælum pervenit : sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis prævalet, adeo ut etiam levissimam illam et supernam virtutem vincat, deorsumque versus facile detrahat. » Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Parmen.*, non longe a fine : « Publicanus, ait, humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogavit dicens : Propitius esto mihi peccatori; sic justificari meruit. Sic superbia in Pharisæo magistro vestro de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » Quocirca prudenter S. Bernardus serm. 13 in *Cantic.* : « Magna, inquit, et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilis iudico. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præcedenti egit de superbia, nunc hoc capite agit de opposita illi virtute, scilicet humilitate et modestia.

Primo igitur, a vers. 1 usque ad 11, sex modestiæ modos et species assignat. Nam docet sapientem esse humilem et modestum in pulchritudine et statura, in vestitu, in honore, in judicio et vituperio, in responsione et loquela, in multis negotiis et opibus. Secundo, a vers. 11 usque ad 31, duos ad eam dat stimulos, scilicet primum, vers. 10 et seq., quod omnia sint Dei, qui cuique suam sortem bonam vel malam, divitias vel paupertatem, pro sua sapientia et beneplacito distribuit. Secundo, vers. 20 et seq., quod cuique instet mors, in quo Deus cuique pro meritis præmium rependit. Docet ergo non tam a labore hominis, quam a Dei manu et munere expectandas esse divitias, æque ac paupertatem, sapientiam, scientiam, dilectionem cæteraque omnia, ac præsertim retributionem meritorum cuiusque in hora mortis. Tertio, a vers. 31 usque ad finem, docet in domum non esse recipiendos hospites dolosos, superbos, malitiosos et alienigenas. Recitat magnam hujus capitis partem juxta Latinam Vulgatam, pene ad verbum Lucius Papa et Martyr, epist. 1, qui fuit coævus Origeni, vixitque sub Gallo et Volusiano Imper. anno Domini 254. Unde colligas quam antiqua et sincera sit Latina versio Ecclesiastici. Estat inter Decretales Pontif. tom. I.

1. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum

faciet. 2. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. 3. Brevis in volatilibus est apis, et initium, dulcoris habet fructus illius. 4. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi, et gloriosa, et absconsa, et invisibilia opera illius. 5. Multi tyranni sederunt in throno, et insuspiciabilis portavit diadema. 6. Multi potentes oppressi sunt valide, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum. 7. Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam: et cum interrogaveris, corripe juste. 8. Priusquam audias, ne respondeas verbum: et in medio sermonum ne adjicias loqui. 9. De ea re, quæ te non molestat, ne certeris: et in iudicio peccantium ne consistas. 10. Fili, ne in multis sint actus tui: et, si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes: et non effugies, si præcucurreris. 11. Est homo laborans, et festinans, et dolens impius, et tanto magis non abundabit. 12. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate. 13. Et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. 14. Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. 15. Sapientia et disciplina, et scientia legis apud Deum. Dilectio, et viæ bonorum apud ipsum. 16. Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescent in malo. 17. Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum. 18. Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius. 19. In eo quod dicit: Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus: 20. et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur. 21. Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce. 22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo. 23. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. 24. Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. 25. Ne dicas: Quid est mihi opus, et quæ erunt mihi ex hoc bona? 26. Ne dicas: Sufficiens mihi sum, et quid ex hoc pessimabor? 27. In die bonorum ne immemor sis malorum; et in die malorum ne immemor sis bonorum. 28. Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. 29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, et in fine hominis denudatio operum illius. 30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. 31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. 32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superbiorum, et sicut prospector videns casum proximi sui. 33. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. 34. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis: homo vero peccator sanguini insidiatur. 35. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala: ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. 36. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine, et abalienabit te a tuis propriis.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE HUMILITATE ET MODESTIA, CUJUS SEX MODOS ET SPECIES ASSIGNAT.

1. SAPIENTIA HUMILIATI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN MEDIO MAGNATORUM CONSEDERE ILLUM FACIET.— Pro humiliati græcæ est ταπεινός, id est humilis, quod tripliciter accipi potest: primo et in humi-

lis dicitur vilis et abjectus, qualis est pauper: ita Palacius; secundo, qui ex virtute humilitatis se deprimat et humiliat: ita Lyranus et Hugo; tertio, qui ab iis humiliatur et deprimatur. Ita Dionysius. Quilibet ergo humilis si sapiens sit, ac sapienter, id est, modeste et humiliter, sui abjectionem ferat, vel sponte capessat, certo speret sui exaltationem: nam « omnis qui se humiliat, exaltabitur. » Hæc enim est lex ab æterna Veritate sancta, tertio a Christo repetita et stabilita, nimirum *Matth. xxiii, 12; Lucæ xiv, 11; Lucæ xviii, 14.* Unde clare et breviter Tigurina vertit: *Sapientia exaltat caput humilis, et eum inter proceres collocat.* Hoc non semper fit in hac vita, sed sæpe: uti videre est in electione Romanorum Pontificum, Episcoporum, Prælatorum, etc. Ad hæc enim munia eligendi sunt, et eliguntur non nobiles, non divites, sed sapientes, et humili genere nati. In altera autem vita fiet omnibus humilibus, et semper, imo in æternum. Sic S. Franciscus merito humilitatis evectus est in cælis ad summum Angelorum ordinem, collocatusque inter Seraphinos, uti revelavit Deus, teste S. Bonaventura in *Vita S. Francisci*. Syrus, *sapientia pauperis exaltabit caput ejus, et inter principes sedere faciet eum.* Ita sapientia exaltavit humiliatum in carcere Josephum, cum eum ad principatum Ægypti evehit; Moysen profugum, cum eum ducem et liberatorem populi constituit; Daniele, cum eum e lacu leonum ereptum Babylonii præfecit. Humilitas ergo est scala per quam ad sublimitatem ascendere oportet; « quia hæc est via, et non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit; quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam, » ait S. Bernardus serm. 2 *De Ascens.*

Exemplum memorabile et appositum est in Vita B. Alcuini, sive Albini Flacci, præceptoris Caroli Magni, quæ operibus ejusdem præfigitur: Carolus Magnus, inquit, orationis gratia unaque desideratæ colloctionis mutæ cum Albino, sepulcrum S. Martini suis cum filiis Carolo, Pipino ac Ludovico, visitare studuit. Quo in loco tenens manum Albini, ait secrete: « Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem, indigno quanquam, dedit mihi Deus, habere me successorem? » At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam a multis despicibilis notabatur, ait: « Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium. » Hoc tunc solus audivit Carolus; sed cum eisdem reges erecta cervice, et Ludovicum humili orationis gratia in ecclesiam S. Stephani postea incedere cerneret, sedens in loco, quo sepeliri volebat, inquit sibi assistentibus: « Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certe videbitis hunc patris celsissimum successorem. » Nec non eum, paulo post, communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret, idem Lu-

dovicus humilitate clarissimus, præ omnibus patri sancto inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini assistenti sibi ait Sigulfo: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur: certe istum post patrem Franciam gaudebit habere Imperatorem. » Hoc nos jam factum et videmus et gaudemus. De ositi sunt qui videbantur cedri, et exaltata est oliva fructificans in domo Domini. Hucusque auctor Vitæ.

Simile, sed terribile extat apud B. Petrum Damianum epist. 14 ad *Desiderium Abbatem*, cap. vi, ubi narrat clericum blasphemum dicentem in se falsam existisse illam Christi sententiam: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur. » Nam si ego, inquit, me meis adversariis humiliter inclinasset, hodie tot possessionum et clientum copiam non haberem; clericum, inquam, hoc dicentem, in prælio cælitus ense fulvæ fuisse transfixum.

Alludit et quasi citat illud Salomonis: « Gloriam præcedit humilitas, » *Proverb. xv, 33.* Ratio est quam idem dat cap. ii, 2: « Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia; ubi autem humilitas, ibi et sapientia. » Sapientia autem exaltat et glorificat. Unde idem, cap. xxix, 23: « Superbian, inquit, sequitur humilitas, et humilem spiritus suscipiet gloria. » Nam, ut ait S. Chrysostomus *Lomil 15 in Matth.*: « Sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. »

Hanc gnomen apposite citavit R. Simeon; invitatus enim ab Alexandro rege Judæorum ad convivium, ab eoque collocatus inter se et reginam, cum rex ei diceret: « En quantum te Phariseum honoro; » respondit: « Jure et merito id facis; nam lex dicit: Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere faciet illum. » De quo plura in additione ad Ben-Sira in fine libri.

Idipsum a Salomone, Siracide et Hebræis didicerunt Gentium sapientes. Arabum proverbium extat *Cent. 1, num. 30*: « Esto in pueritia tua humilis, ut sis in senectute tua exaltatus. » E Græcis Plato, lib. V *De Republ.*, censuit, « reges non esse creandos, nisi philosophos, » puta ethicos et modestos. E Romanis Seneca in *Proverbiis* hæc habet: « Vis omnibus esse notus? prius effice ut neminem noveris. Vis habere magnum honorem? dabo tibi magnum imperium: Impera tibi. Si vis beatus esse, cogita hoc, primum contemnere, et contemni. » Mystice Rabanus: « Sapientia humiliati est fides Christi, quæ per dilectionem operatur. Hæc non philosophiam humanam, nec jactantiam vanam hujus mundi sectatur; sed mansuetudinem et modestiam semper sui domini imitatur, qui dixit: Discite a me quia mitis sum, et humilis corde. Unde fiet quod jungitur: Et invenietis requiem animabus vestris. Possessores enim suos in medio magnatorum consedere faciet, quando eos cum Patriarchis et Prophetis, cum Apostolis et Martyribus, et cæteris Sanctis regni cælestis tribuet esse participes. »

NON LAUDES VIRUM IN SPECIE (Græce ἐν ἀλλοτρίῳ, est, in forma et pulchritudine) SUA, NEQUE SPER-
HOMINE. IN VISU SUO, — id est, ob aspectum
m, ob aspectabilem et despicabilem ejus for-
mam, si videlicet deformis sit, pusillus, contrac-
tus, gibbosus. Est Hebraismus, et Hebraica me-
tonymia: ponitur enim potentia pro objecto, puta
visus vel aspectus pro re visa et aspectabili. Tiguri-
na, *ne laudes virum de pulchritudine sua, nec
quemquam ob formam suam vituperes*; Syrus, *ne
laudaveris hominem qui speciosus est in aspectu suo,
et ne contumelia afficias hominem qui vilis est in as-
pectu suo.* « Prohibet, ait Rabanus, ne quis juxta
speciem corporis aestimet qualitatem mentis, quia
sicut divisa est natura animæ et corporis, ita et
dignitas eorum est diversa: nec consequens est
ut quantitatem staturæ sequatur modus sapien-
tiæ. »

Causa est prima, quod forma et pulchritudo sit
quid femineum, ac proinde viro sapienti spernen-
dum. Unde physici docent feminam et formam in-
signem produci, si viri semen in lævam, id est fe-
mineam, uteri muliebris partem inciderit; quod
si secus contingat, marem produci. Notat Lactan-
tius, lib. *De Opificio Dei*, cap. XII, « illum aliquid
in se habere femineum supra quam decus virile
patiatur, vel formam insignem, vel nimium can-
dorem, vel corporis lævitatem, vel artus deli-
catos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem,
vel animum imbecilem, vel ex his plura. » Ac
paulo post subdit de maribus qui minus sunt pul-
chri, quam feminae: « Sed plus roboris maribus
attributum est. Vir itaque est nominatus, quod
major in eo vis est quam in femina, et hinc virtus
nomen accepit. Item mulier, ut Varro interpre-
tatur, a mollitie est dicta velut mollior.

Quærit S. Ambrosius lib. *De Institut. virginis*,
cap. III, cur, « cum Deus, *Genes. I*, omnia opera
sua laudavit, cælum, terram, maria, noctem et
diem, quod ista proficerent ad usum laboris, illa
ad fructum quietis; laudaverit et feras bestias;
ubi ad hominem ventum est, solus non videtur
esse laudatus, propter quem omnia generata
sunt? Quæ igitur causa est, nisi forte ea, quia alia
in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis
plus reperias, quam quod videtur: in homine
nihil est inferius, quam quod videtur; qui cum
ex animo constet et corpore, hoc utique in eo
servit quod videtur; illud autem in eo regit, quod
non videtur. Merito ergo alia in exordio laudan-
tur, istius laudatio non promitur, sed reservatur;
quia aliorum gratia foris, hujus intus est: alio-
rum in nativitate, hujus in corde. Quid enim tam
altum et tam profundum, quam mens homi-
nis, quæ quasi involuero quodam corporis tegit-
ur et occultatur, ut eam haud facile quisquam
introspeere et peculiari queat? Ideo ergo homo
non ante laudatur, quia non in forensi pelle, sed
interiore nomine ante probandus, sic prædican-
dus est: quem præclare definivit Apostolus Pe-

trus, dicens, absconditum esse cordis hominem
in incorruptione quieti et modesti spiritus, qui est
ante Deum locuples. Et paulo inferius: Quid
autem locupletius quam quod ad imaginem Dei
est, ac similitudinem? Ad imaginem autem inter-
rior est homo, non iste exterior: ille qui sensu
æstimatur, non qui oculis comprehenditur. Ille
ergo nobis spectandus est, qui serius investiga-
tur. Ideo Deus non putavit hominis fabricam esse
laudandam, quia major ejus virtute est portio.
Præclara quidem species, et præstantior cæteris
animantibus: sed irrationabilia specie corporis
æstimantur; ea autem quæ rationis plena sunt,
communem laudem sequestrant. Homo igitur
mihi non tam vultu, quam affectu admirandus
emineat atque excellat. »

Secunda, quod Deus et natura ita partiantur sua
dona, ut cui dant dotem unam, negent alteram;
et cui negant unam, donent alteram. Unde femi-
nis dedit pulchritudinem, negavit vigorem men-
tis et sapientiæ, quam dedit viris qui minus ha-
bent pulchritudinis. Sic Cato ait:

Ingenio pollet cui vim natura negavit.

Cicero: « Valentissimo quisque corpore longis-
sime abest a sapientia. »

Forma ergo et pulchritudo est exile et femi-
neum bonum, ideoque caducum et despicien-
dam: « Est nimirum, ait Tiraquellus lib. II *Con-
nub.* num. 19, forma res caduca, evanida, fugax,
decidua, velox, fluxa, rapida, eodem pene mo-
mento virescens et arescens; non secus ac flos-
culi, quorum vita dialis, qui matutino tempore
pulcherrimi, ante vesperum evanescent, magna
(ut scribit Plinius lib. XXI, cap. 1) hominum ad-
monitione, quæ spectatissime floreat, celerrime
mareescere: quasi intelligeret Plinius formam eo
celerius oeiusive elabi, quo magis conspicua est.
Galenus in *Exhortatione ad bonas artes* eos lau-
dat, qui judicant formam vernis floribus esse si-
mitem, ut qui brevem voluptatem habent; simul-
que laudat Lesbiam dictam: Nam qui formosus
est, tantisper est, dum videtur. Fallax, ait ille om-
nium sapientissimus, *Proverb.* cap. ult., gratia, et
vana est pulchritudo. »

Virgilius, vel quisquis est auctor in carmine *De
Rosa*, sic canit:

Collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes;
Et memor esto ævum sic prosperare tuum.

Et Ovidius lib. II *De Arte amandi*:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad
Fit minor, et spatio carpitur illa suo. [annos,
Nec semper violæ, nec semper lilia florent.
Et riget amissa spina relicta rosa.

Philo Judæus, qui in nostra et Græcorum philoso-
phia facile cæteros antecellit, in eo libro quem de
Providentia scripsit: « Formositate, inquit, cor-
poris se jactare mentis compos nemo poterit,

quæ brevi adeo extinguitur tempore, ut, ante-
quam florescat, defloruisse videatur. » Quod et
usurpavit Eusebius lib. *De Evangel. præparat.* VIII,
cap. V. Crispus quoque Sallustius, Romana ille
primus in historia, de bello Jugurthino, in eam-
dem fere sententiam hæc prodidit: « Igitur præ-
clara facies, magnæ divitiæ, visque corporis, et
omnia alia hujuscemodi brevi dilabuntur. » Et
alibi: « Dignitas formæ aut morbo, aut ætate de-
florescit. » Et iterum in *Catilinaria*: « Formæ, in-
quit, gloria fluxa atque fragilis est. » Plutarchus
in lib. *De Liberis educandis*: « Forma præcipuum est
quoddam bonum, at caducum parvoque durans
tempore. » Socrates autem apud Laertium, in *Vita
Aristotelis*, formam appellabat *ἐπιτομήν τῆς φύσεως*,
hoc est, *æquum temporis tyrannidem*, « quod scilicet
ejus gratia mox defloresceret. » Domitianus apud
Suetonium dicebat, « nihil brevius esse decore. »
Apuleius Platoniorum eruditissimus, et, ut cen-
set S. Augustinus, eloquentissimus, in *Deo Soera-
tis*, significare volens nihil esse brevius forma,
scribit: « Formosus est, expecta paulisper, et non
erit. » Boetius, lib. III *De Consolat. philosophiæ*:
« Formæ nitor rapidus et velox, et vernalium flo-
rum velocitate fugacior. » Sed Theophrastus, teste
Laertio in *Vita Aristotelis*, aiebat, « formam esse
silentem fraudem, » quod sine verbis persuadeat
res illicitas et noxias. Et Carneades dicebat, « for-
mam esse regnum sine satellitio, » quod formosi
sua vi impetrent quidquid volunt.

Tertia, quod vis unita fortior sit se ipsa divisa:
quocirca anima vim suam uniens in parvo cor-
pore, vegetior et potentior est quam in magno,
ubi eam in vasta membra dividit et dispergit.
Hinc videmus parvos esse magnanimos, acres,
ingeniosos, juxta illud:

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Ex adverso de valde magno subinde dicitur:

Nulla in tam vasto corpore mica salis.

Ita Clemens Alexandrinus, orat. *ad Gentes*, Hercu-
lem fortissimum heroem asserit fuisse parvum.
Sic enim eum depingit: « Hieronymus Philoso-
phus ipsius (Herculis) corporis narrat habitum
parvum, crispo capillo, bona firmaque valetu-
dine. Dicæarchus autem gracilem, nervosum,
nigrum, naso aquilino, oculis sublati, fusco ca-
pillo. » Gellius tamen asserit Herculem corpore
fuisse procerum. Huc facit apologus culicis et leonis
apud Æsopum. Culex, inquit, ad leonem acce-
dens ait: Neque timeo te, neque fortior es me.
Nam quod tibi est robor, quod laceras unguibus,
et mordes dentibus, hoc et femina cum viro pu-
gnans facit. Ego vero longe sum te fortior; si
vero vis, veniamus ad pugnam: et cum tuba ce-
cinisset, pulex inhaesi, mordens circa nares ipsius
læves genas: leo autem propriis unguibus dila-
navit seipsum, donec indignatus est. Culex au-
tem, victo leone, cum sonuisset tuba, et epini-

cium cecinisset, evolavit; araneæ vero vinculo
implicitus, cum devoraretur, lamentabatur, quod
cum maximis pugnans, a vili animali, aranea, oc-
cideretur. Astabulatio: Fabula dicitur in eos qui
prosternunt magnos, et a parvis prosternuntur.
Hinc manavit proverbium Arabum, *Cent. 2*, num.
24: « Ne despicias debilem in conversatione ejus;
nam culex fodit oculum leonis. » Sic enim leones
in Mesopotamia mire infestari a culicibus testa-
tur Strabo lib. XVI, et Marcellinus lib. XVIII.

Idipsum apologo leonis et vulpis representat
Cyrillus lib. I *Apologorum moral.* cap. XVIII, cujus
titulus, *Neminem spernas, sed unicuique debitum
honorem exhibeas*: « Cum leo, inquit, ac vul-
pes roboris ac fraudis inita societate ad quæren-
dum pabulum exissent, mus ipsis occurrit; quem
leo quidem facie curiali respiciens, cauda depo-
sita, humiliter salutavit; vulpes vero, collo recto,
et cauda sursum elata, subsannando derisit. At
museulus astutus honorem in honorantem gratus
refundens, dissimulatione vultus, non immemor
injurie, vulpem pertransiit. Postquam deinde illi
gravi famis ardore pressi, hinc inde per saltus
pabulum quærentes oberrarent, accidit ut in la-
queos absconditos pede minus provido pariter
inciderent. Hujus ergo rei eventum cum mus
intellexisset, statim accurrit, et leoninæ salutatio-
nis ac vulpinæ derisionis memor, laqueis leonis
corrosus eum liberavit: at vulpi gestu humili, et
contuitu deprecativo similem opem imploranti,
subsannando respondit: Quid me aspicias, quam
nuper despexisti inflata, et superbiens derisisti?
Addiditque: O vulpes, callida quidem es, sed pru-
dentia cares; nesciebas scilicet rebus etiam mi-
nimis vim aliquam a natura esse inditam. Quam-
obrem nihil est a sapiente spernendum, quo-
niam unaquæque res habet suum loco et tem-
pore momentum; neque tam attendendum est ad
exiguitatem molis, quam ad quantitatem virtutis.
Plurima namque parvitate molis exigua, grandis-
sime virtutis sunt maxima. » Probat deinde idip-
sum inductione gemmarum, pupillæ, acus, ara-
neæ, pulicis, dicens: « Sic cæteris virtuosiores
sunt lapides minores, et rerum ingentium res
parvæ sunt seminales. Quid in membris pupilla
minus. Qua tamen nihil carius. Et navis salus
aliquando ab exiguo clavo dependet, potius
quam ab ingenti malo: quippe si pannus ex vel-
lere adornatur, sine acu tamen non induitur.
Quid plura? Aranea parva virum necat, et pulex
infestissimus hunc tormentat. Neminem igitur
spernas, quoniam unusquisque prodesse valet;
neque parum est, si non nocet. » Unde epimy-
thium, sive finem et fructum fabulæ assignans,
concludit: « Suum cuilibet honorem impendas.
Quid enim honor aliud est, quam alicuius actus
omnium virtutum? Hic enim est prudentia, cum
intenditur, cui, quando, ubi, quomodo tribua-
tur; justitia vero, cum non justo minus impen-
ditur; magnanimitas, cum non debito amplius

datur; temperantia, cum modeste defertur: nam extra modum honorare, illudere est. Quo dicto superbam irretitam dimisit. » Hinc et Cato in *Distichis*:

Corporis exigui, inquit, vires contemnere noli:
Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Denique Deus elegit parva et abjecta, « quia elegit infirma mundi, ut confundat fortia; et ignobilia et contemptibilia mundi, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret, ut non gloriatur in conspectu ejus omnis caro, » ait S. Paulus I *Corinth.* I, 28. Ita elegit pauperes et rudes Apostolos; ita elegit Davidem minimum natu inter fratres, ut esset rex Israelis, abdicatione magno Saule, de quo ait Deus ad Samuelem, quæ volebat Eliab primogenitum Jesse in regem ungere: « Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea quæ parant, Dominus autem intuetur cor, » I *Regum*, cap. xvi, vers. 7. Est hæc prima species sapientis modestiæ et humilitatis, circa speciem, staturam et formam externam. Dices: Galenus, lib. II *De imper.* cap. vi, asserit naturam membra commone, prout moribus animæ convenit. Et Aspasius: Fieri inquit, vix potest ut omnino deformis bonus sit. Nam, ut ait S. Ambrosius lib. II *De Virginitate*: « Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis. » Resp. S. Ambrosius loquitur de honesta, modesta et gravi compositione corporis, quæ a virtute procedit, non a naturali forma; hanc autem habere potest is qui corpore minus est speciosus et pulcher. Galenus generatim loquitur. Aspasius et similes agunt de plane deformi, id est, distorto, manco, mutilo, etc. In his enim subinde anima est distorta vel manca. Unde Martialis, lib. XII:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Trita est vox, sed a vulgo: « Cave a signatis. » Et Pallados in claudum, lib. II:

Clauda tibi mens est ut pes, natura notasque
Exterior certas interioris habet.

Etsi enim hæc a Satyricis satyricæ dicta sint, tamen reipsa subinde vera sunt, non tamen semper. At vero cum rectum integrumque est corpus, parum ad sapientiam et virtutem facit ejus species, puta elegantia, color, venustas, proceritas, etc. Unde Euripides:

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Juvat, eum quis mentem non bonam habet.

Et alibi:

Deformis sim potius, quam pulcher et malus.

Ita deformes fuere Æsopus, Hipponax, Socrates, Crates, Gellius, Agesilaus, Aristoteles parvus, gibbosus, deformis, balbutiensque, etc., qui ta-

men sapientia et virtute excellere. Ita S. Paulus, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus statura fuere parvi, ut ostendi *Zachar.* iv, 10, et tamen lumina Ecclesie.

Siracides per speciem maxime accipit parvitem vel proceritatem; ob illam enim neminem esse despiciendum, nec ob hanc suscipiendum; sed in procero corpore posse esse animos exiles, et in parvo sublimes, docet exemplo apis, quæ, ut ille ait, « cum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angusto versat in pectore. » Et S. Chrysostomus in *Psal.* I: « Ape, inquit, quid abjectius, et quid pavone pulchrius? uter autem præstantior? Apis an pavo? non dubium quin apis. Pavonem de medio tolle, et nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, et ingens utilitas adempta erit. » Nam, ut ait Varro lib. III *De Re rustica*, cap. xvi, ab apibus tria discimus: « Ab his, inquit opus facere discunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere. Tria enim harum, cibus, domus, opus; neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus. » Hinc apis Hebr. dicitur דבורה *dehora*, vel a bombo quem edit, vel potius ab artificio et præstantia operis quod facit, puta a mellificio: דבר *dabar* enim et loqui, et metonymice operari significat. De api ergo subjicit Siracides:

3. BREVIS IN VOLATILIBUS EST APIS, ET INITIUM DULCORIS HABET FRUCTUS ILLIUS. — « Brevis, » Græce μικρά, id est parva. « Initium, » Græce ἀρχή, id est, principatus dulcorum, ut vertit Complutensis, q. d. Parva est apis, et tamen fructus ejus, puta mel quod conficit, principatum tenet dulcoris, primas obtinet in dulcedine. « Quid enim melle dulcius? » *Judic.* xiv. Rursum est initium, id est fons, origo et causa dulcedinis. Saccharum enim dulce quidem est, sed mellis dulcedinem non vincit. Adde saccharum esse arte factum, mel vero est naturale; natura autem arti et rebus arte factis præpollet. Sic initium vel principium sæpe sumitur pro præcipuo et principatu, imo origine et causa cæterorum, ut superius dixi, et *Jacobi* I, 18.

Probat hominem sapientem non esse judicandum et spernendum ex parvitate, difformitate, vilique forma, et specie externa, per exemplum, imo typum et figuram apis. Apis enim esto corpore sit parva, specie horrida, aculeo noxia; tamen volatilius, imo animalium, est sapientissima, ac producit mel, quod primas tenet inter dulcia, adeoque quoslibet cibos licet amaros dulcorat, et sapidos efficit. Est enim mel succus dulcissimus, subtilissimus et saluberrimus, ait Plinius lib. XI, cap. v. Unde mel est typus sapientiæ, quæ omnia dulcorat et sapida efficit: ac proinde, sicut mel est in ape parva et vili, sic sapientia sæpe abscondita est in corpore parvo, deformi et vili, uti accidit in Soerate, Diogene, Aristotele aliisque jam recensitis. « Sicut apis, inquit Rabanus, aculeo pungit, et opera mellis conficit: sic et in brevi corpuseulo sæpe inge-

niosa inhabitat anima, quæ et acumine viget, et in doctrina sua novit proferre suavitatem sapientiæ. »

Hinc Syrus addit causale quia: Ne, inquit, contumelia afficias hominem, qui vilis est in aspectu suo; quia contemptibilis est in avibus apis, et superior bonitate cæterorum fructuum est fructus ejus; *Tigurina*: Parva quidem inter volucres apis est, sed fructus ejus est origo dulcium.

Moraliter, apis symbolum est sapientiæ et prudentiæ, tum ethicæ, tum œconomicæ, tum politicæ: ethicæ, quia seipsam mira solertia, quin et aculeo tuetur; et quia mel, quod est suavissimum, conficit, eoque æque ac thymo, et herbis ac floribus delicatissimis se pascit. Unde Virgilius lib. II *Georg.* de apibus inter multa sic canit:

Alia purissima mella
Stipant, et liquido distendant nectare cellas:
Fervet opus, rodolentque thymo fragrantia mella.

Apem ergo imitetur homo, ut non nisi rebus optimis et divinis mentem pascat; mentem, inquam, tum suam, tum proximorum, uti faciebat S. Cæcilia, de qua canit Ecclesia: « Cæcilia tibi, Domine, quasi apis argumentosa (id est operosa, sedula, industria) deservit, » quia maritum Valerianum, ejusque fratrem Tiburtium, ac insuper alios quadringentos suo zelo et suaviloquentia ad Christum convertit. Ita Severus Sulpitius scribens ad S. Augustinum (est epistola 37 inter epistolas S. Augustini) eum vocat apem: « O vere, ait, artificiosa apis, Dei construens favos, divini nectaris plenos, manantes misericordiam et veritatem; per quos discurrens deliciatur anima mea, et vitali pastu quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire et suffulcire molitur. » Sic in S. Ambrosii, dum infans esset, ore insederunt apes, ut futuram ejus melleam eloquentiam portentarent. Idem evenisse S. Dominico memorant nonnulli. Idem contigit Pindaro: Pindarus, ait Eusebius in *Chron.*, et alii, floruit olympiade LXXVI, sub tempora Xerxis, Lyricorum princeps; unde a Poetis Diræus cynus appellatus est. Pindaro, cum infans esset in cunis, apis in ore ejus tanquam in alveari mella et favos deposuit, ut innueret ipsum fore portentum suaviloquentiæ. Nam mel, ait Plinius lib. XI, cap. xii, « sive cœli est sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus purus et liquidus, etc., magnam cœlestis naturæ voluptatem affert. » Similiter apes, inquit Plinius cap. xvii, « sedere in ore infantis Platonis, tum etiam suavitatem illius prædulcis eloquii portentant. » Denique Sophocles poeta ob linguæ dulcedinem et sermonis vim dictus est *Apis Atheniensis*, ait ex Suida Volaterranus, lib. XIX.

Apem ergo imitentur singuli, præsertim virgines. Audiant S. Ambrosium, lib. I *De Virginitate*: « Favum, inquit, mellis tua opera componant.

Digna enim virginitas quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit Ros quoque virgineus est sermo divinus, quia, sicut ros, verba Dei descendunt. Pudor virginis est intemerata natura; partus virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis; in commune labor, communis est fructus. Quam te velim, filia, imitricem esse hujus apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur! Hanc imitare, tu filia: verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrem, ut et puritatem habeant, et gravitatis plena sint. »

œconomicæ, quia apes mira industria suas cellas quasi domos conficiunt, melle et cera implent, conservant et regunt; unde apes agricolis præcipui sunt questus, ait Plinius lib. XI, cap. v. Idem, cap. vi: « Apes, inquit, primum favos construunt, ceram fingunt, id est domos cellasque faciunt; deinde sobolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem e lacrymis arborum quæ glutinum pariunt, salicis, ulmi, arundinis, succo gummi, resina. His primum alveum ipsum intus totum, ut quodam tectorio, illinunt, et aliis amarioribus succis contra aliarum bestiarum aviditates, id se facturas consciæ, quod concupisci possit. His deinde fores quoque latiores circumstruunt. » Porro « sexangulæ omnes cellæ, a singulorum eæ pedum opere, » ait idem cap. xi. Quocirca Aristoteles lib. II *Metaphys.*: « Apes et canes, inquit, sunt prudentiores cæteris animalibus brutis. » Audi S. Chrysostomum in *Psal.* cx: « Diligentiam, ait, et laborem discet a formica; ab ape autem honesti amorem, societatemque, et inter se communionem, sicut dicit proverbium: Vade ad formicam, o piger, et imitare vias ejus, et sis illa sapientior. Cum enim illi non sit ager quem colat, nec habeat qui eam cogat, nec sit in potestate domini, parat æstate alimentum, et in tempore messis magnum facit acervum. Vel vade ad apem, et discet quod sit operaria, cujus labores reges et privati ad sanitatem offerunt. Atqui licet sit imbecilla viribus, et quæ sapientiam honorarit, provecta est: ipsa enim apis rursus tecum agat, ne nequidquam pulchritudinem corporum admireris, quando non adsit virtus animæ; nec difformitatem vilipendas, quando fuerit pulchre ornatus animus. Quod ipsum quoque significans dicebat Paræmiastes: Parva in volucris apis, et dulcedinum principium fructus ejus. »

Politiciæ, quia apes rempublicam habent mire ordinatam, concilia, duces, leges, mores, ait Plinius, lib. XI, cap. v: « Consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora mittunt. Noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ, ut alas a rore protegant, » ait Plinius, *ibid.* cap. viii. Idem, cap. x: « Ratio operis, ait, mira: interdiu statio ad portas more castrorum; noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino